



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]**

**Torres, Francisco de**

**Coloniae, 1573**

**VD16 T 1629**

Cap. IX. Defensio Canonis Apostolorum, qui iubet, vt Episcopus non faciat extra Dioecesim suam ordinationes Clericorum: & demonstratio ex scriptura, quòd essent tempore Apostolorum termini Dioecesum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29685**

Iud. 11.

Si tradideris filios Ammō in manus meas, quicumq; primus fuerit egressus de foribus domūs meæ, mihiq; occurrerit reuerenti cum pace à filijs Ammō, eum holocaustum offeram Domino. euēnit autem, vt occurreret filia vnigenita, quam immolauit: vt hoc (inquiunt) exemplo discerent deinceps homines, cauere hoc genus sponsionis.

*Defensio Canonis Apostolorum, qui iubet, vt Episcopus non faciat extra Diæcesim suam ordinationes Clericorum: & demonstratio ex scriptura, quòd essent tempore Apostolorum termini Diæcesum assignati Episcopis, qui tunc erant. & de qua ordinatione loquatur Canon Apostolorum, & de qua B. Cyprianus, quod quidem Magdeb. non distinxerunt. Cap. 9.*

cc **P**ergamus ad aliud caput. Canon 36. prohibet (inquiunt) ordinationes  
cc facere extra proprios terminos in ciuitatibus & villis, quæ illis nullo  
cc iure subiectæ sunt. Sed hoc seculo nondum fuerunt termini singulo-  
cc rum episcoporum ita distributi: & solebant ex vicinia conuenire plures ad  
cc ordinationem, vt patet ex Canone Apostolorum, quem supra ex Cypriano  
cc descripsimus.]

*Apostolorum  
temporibus  
paræciæ epi-  
scoporum di-  
stinctæ fue-  
runt.  
Tit. I.*

Hactenus Magd. Si illo tempore non fuit cuiq; Episcopo sua paræcia assignata, quas nunc diæceses vocant, qui sunt termini cuiq; Episcopo distributi, vt Magdeb. loquuntur, Quomodo Paulus Apostolus Tito præcipit, Episcopos per singulas ciuitates constituere? Etenim si singulis ciuitatibus singuli Episcopi præerant, erant igitur termini singulorum Episcoporum distributi, termini, inquam, singularum ciuitatum. Videte, quid B. Chrysoftomus dicat, hunc locum interpretans: Huius rei gratia reliqui te Cretæ. Veluti domum vnā (inquit) totū orbem distribuentes, ita omnia officia peragebant, vt omnium, qui essent vbique terrarum, curam gererēt. Hoc dixit de Apostolis. Subiungit deindē, explanans quemadmodum totius orbis curam gererent: Dum hic quidem, inquit, hanc partem, ille aliam susciperet disponendam. Erātne hæc distributio terminorum? Clariùs adhuc Theophylactus, Vt constituas (inquit) presbyteros per ciuitates, vt ego tibi disposui. Episcopos (inquit) dicit hoc loco, vt in Epistola ad Timotheum. Per ciuitates verò ait, non enim volebat totam insulam vni commissam esse, sed vnāquāq; ciuitatem ἴδιον ποιμίνα ἔχειν, id est, habere proprium pastorem. Si igitur cuiusq; ciuitatis erat proprius pastor, & rursus cuiusq; pastoris propria ciuitas, hoc enim necessariò consequens est: Erant ergò termini singulorum Episcoporum distributi, quod isti, contra verbum Apostoli, id est, contra verbum Dei, negant. Subiungit deindē Theophylactus rationem huiusmodi distributionis, siue assignatiōis paræciarum, siue terminorū, Sic enim (inquit) & labor erat leuior, καὶ ἡ ἐπιμέλεια ἀκριβοτέρα, id est, & cura exactior. Quomodo igitur minus laboris, & plus diligentie, nisi quia quisq; Episcopus terminum ad se pertinentem, id est, sibi distributū, suam, inquam,

inquam, parœciam & dicecesim curabat? Quod ergò dicunt Magd. Nondum ita fuerunt termini singulorum Episcoporum distributi, vt scilicet non sic debuerint, aut potuerint S. Apostoli Canonem tradere, quo vetarent, ne quis Episcopus extra suam dicecesim, siue ciuitatem vel parœciam, (idem enim pluribus verbis dicimus) ordinationes faceret: hoc, inquam, & contra rationem rectæ gubernationis, & contra scripturam Pauli est, quod nemo est, præter cæcos istos, qui non videat. Deinde quod Magde. addiderunt ad improbandum hunc Canonem Apostolorum, Et solebant (inquiunt) ex vicinia cõuenire plures ad ordinationem, vt patet ex Canone Apostolorum, quem supra ex Cypriano adscripsimus: hoc, inquam, satis conuincit, nõ intelligere Magd. quod hic reprehendunt. Si enim eos interrogemus, de qua ordinatione loquatur hic noster Canon Apostolorum, negare non possunt, quin loquatur de Episcopo, qui ordinationes Clericorum dicecesis suæ facere iubetur, & non Clericorum alienæ: quod (inquit) si fecisse depræhendatur præter voluntatem eorum, ad quos illæ ciuitates aut villæ, quarum Clericos ordinauit, pertinebant, deponantur ordinator & ordinati. Quid æquius statui potuit? aut quid iniquius esse potest, aut quod maius dissensionis & inimicitiarum seminariũ, quàm vt Clericum ciuitatis, cui hic Episcopus præest, alius Episcopus, cui alia ciuitas assignata est, hoc inuito, ordinet? Hunc Canonem Apostolorum secuta est Nicena Synodus, cum Canone 43. ex numero eorum, quos supra diximus, sanxit, vt nullus Episcopus presbyterum aut diaconum, ex alterius Episcopi dicecesi ordinet absq; licentia proprii Episcopi. Idem quoque sanxit Synodus Antiochena ca. 22. Interrogemus ergò rursus Magd. de Canone illo Apostolorum, quem ipsi ex Cypriano adscripserunt: certè negare non possunt, quin loquatur de ordinatione non Clericorum, sed Episcopi, quæ ab Episcopis comprouincialibus, si conuenire possunt, facienda est. Sed recitemus Canonem Apostolicum ex Cypriano, quem isti adscripserunt: De ordinatione diuina (inquit) & Apostolica obseruatione seruandum est, &c. vt ob ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant: & Episcopus deligatur plebe præsentē, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusq; actum de eius conuersatione perspexit. Idem statuit Synodus Nicena, sequens eandem auctoritatem Apostolicæ traditionis, quæ est in 8. libro Clementis cap. 4. quæ Anacletus Pontifex in Epistola secunda attestatur, & post eum beatus Cyprianus. Sic enim ait S. Anacletus: Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint prouincia, Episcopis sunt celebrandæ. Et paulopost: Quod si simul omnes conuenire minimè poterunt, assensum tamen suis precibus præbeant, vt ab ipsa ordinatione animo non desint. De ordinatione verò reliquorum sacerdotum & diaconorum, subiungit idem S. Anacletus: Reliqui verò sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ita vt ciues & alij sacerdotes assensum præbeant. De hac ergò ordinatione

*Synodus Nicena idem sanxit, et Antiochena.*

*Cyprianus contra Canones 36. producit, cum eo non pugnat.*

*Tom. I. Cons. p. 161.*

E tione

tione loquitur Canō Apostolorum 36. quod quidem Magd. minimè intellexerunt, non quia obscurum esset, nihil enim magis perspicuum esse poterat: sed quia, more suo, ita legunt omnia, quæ notant & reprehendunt, ut nihil prorsus considerent, vtrum quod primo ad spectu eis videtur, ita sit, nè fortè excidat eis, quod postea cum eorum dedecore refelli & redargui possit, quod passim eis contingit. Nihil horum curant, modò suos vtcunq; fallant, quos nihil examinatos esse, nec alia præterquam eorum scripta lecturos confidunt. Rursus alium Canonem accusant, sic enim aiunt:

*Defensio Canonis Apostolorum, iubentis bis singulis annis concilia celebrare: & quæ sint testimonia, esse hunc Apostolicum Canonem, & quæ item ratio: & de necessitate & utilitate habendi huiusmodi Synodos singulis annis secundum rationem, & scripturam, & præscam consuetudinem. Cap. 10.*

**Can. 38.** **C**anon 38. bis in anno concilia celebrare iubet, sed in historijs non reperiuntur eius rei testimonia. Vna synodus ab Apostolis celebrata legitur Act. 15. de alijs, quæ quotannis bis essent factæ, non fit mentio. ]  
 Ante Antio-  
 chena & Ni-  
 cenam Syno-  
 dos hunc Can-  
 onem in usu  
 fuisse, ex vers  
 bis harū Syn-  
 odorum pers-  
 picuè cerni-  
 tur.

Haftenus Magd. Cum Synodus Antiochena Canone 20. dixit, rectè habere, quòd in singulis prouincijs bis quoq; anno concilia habeantur, satis apertè significauit, non tunc primùm hunc Canonem sancitum esse: nõ enim dixit, statuit: sed, Visum est benè habere. Idem quoq; significauit Synodus Nicena, cum similiter dixit c. 5. Visum est benè habere, ut bis per vnamquanq; prouinciam singulis annis concilia habeantur. Non enim ignorabat Synodus Nicena, traditum esse hoc ecclesiæ tum Canone, tum consuetudine de concilijs bis habendis per singulos annos. Confirmat, quod dicimus, S. Anacletus in Epist. 1. cum ait, Vbi fuerit summorum (Episcopos dicit) congregata congregatio, quæ per singulos annos fieri solet, & debet. Cum dixit, Solet, consuetudinè ecclesiæ significauit, quæ aliundè quàm ab Apostolica traditione, proficisci non potuit. Cum verò dixit, Debet: etiam Canonè significauit. Vtrunq; enim horū distingui solet, ut cum Synodus Nicena Canone 18. dixit: Sicut neq; Canon, neq; consuetudo tradidit. Cum ergò Synodus Antiochena hac formula verborum, Visum est benè habere, quod iam prius statutū erat, & in consuetudine positum ecclesiæ, confirmet: consequens est, ut Nicena Synodus eadè formula verborū idem quoquè faciat, id est, similiter confirmet, quod prius in Canone, & in ecclesiæ consuetudine erat: de Synodis dico, bis habendis per annū. Sed dicent fortassè Magd. Ante Nicenā Synodum non reperiuntur huius Canonis testimonia in historijs, non fuit igitur hic Canon ante Nicenam Synodū. An non est satis idoneus testis ipsa eadem Synodus, quæ dixit, sicut Antiochena post ipsam, Visum est benè habere? &c. Quæ igitur amentia est, negare Canonem Apostolorum de Synodis habendis singulis annis, quia eius rei testimonia in historijs non reperiuntur? Sed benè habet, q; de hac re, id est, de præcepto & lege bis habendi concilia